





DE
VIDVALITIO AD STATVM
VIDVITATIS ADSTRICTO

DISSERTATIO

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

PRAESIDE

IO. AVGVSTO HIERONYMO
THALWITZERO

IVRIS VTRIVSQVE DOCTORE CVRIAE PROVINCIA-
LIS ET CONSISTORII ECCLESIASTICI VITEBERG.
ADVOCATO,

DIE VI. AVGVSTI A. R. S. CIOIOCCCLXXXI.

H. L. Q. S.

D E F E N D E T

A V C T O R

CAROLVS FRIDERICVS GVILIELMVS ROMANVS

DRESDENSIS.

VITEMBERGAE,
LITTERIS TZSCHIEDRICH.

INDVIALITIO AD STATVM
ADVLTATIS ADSTRICTO

DISSECTIO

QVAM

ELVATIS IGITVR ORDINIS ANCIORITATE

IO. AVGVSTO HIERONYMO

PHILIPPO WITZERO

DOCTORI ET DOCTORE AVGVSTO HIERONYMO
ET PHILIPPO WITZERO

DISSECTIO

DISSECTIO

DISSECTIO

DISSECTIO

DISSECTIO

ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO

D O M I N O

CHRISTIANO GOTTHELF
L. B. DE GVTSCHMID

SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS SAXONIAE INTIMAE ADMISSIONIS
AMICO COMITIQVE CONSISTORIANO REL.

ET

ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO

D O M I N O

GEORGIO REINHARDO S. R. I.
COMITI DE WALLWITZ

SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS SAXONIAE INTIMAE ET SANCTIORIS
ADMISSIONIS MINISTRO COMITIQVE CONSISTORIANO SANCTIORIS
SENATVS QVI REBVS FISCALIBVS PRAEEST PRAESIDI REL.

PATRONIS SVMMO PIETATIS CVLTV
SVSPICIENDIS

S A C R V M.

EXCELSISSIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO

DOMINO

CHRISTIANO GOTTFRIEDO
FRATRI DE GUTSCHMIDT

SECRETARIO SACRORUM SACRANENTORUM
ADMISTRATIONIS SACRORUM SACRANENTORUM
ADMISTRATIONIS SACRORUM SACRANENTORUM

EXCELSISSIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO

DOMINO

GEORGIO RICHARDO DE
COMTE DE WALLWITZ

SECRETARIO SACRORUM SACRANENTORUM
ADMISTRATIONIS SACRORUM SACRANENTORUM
ADMISTRATIONIS SACRORUM SACRANENTORUM

LEGATIONIS SACRORUM SACRANENTORUM

SAECULI

SAECULI



§. I.

Instituti ratio.

Meditantibus nobis, cum daretur scribendi opportunitas, de quam re potissimum exponeremus, occurrit, non exigam inter doctores opinionum discordiam circa quaestionem existere, an vidualitium indefinite constitutum a statu viduitatis pendeat? quam quidem ex iis, qui adhuc viuunt, praeter alios, III. BOEHMERVS a) negat, Perill. DE GLOBIG b) vero cum III. PÜRTMANNO c) affirmat. Visa nobis est haec res ulteriori disquisitione digna, quare ad scribendum accessimus, et ita haec qualiscunque dissertatio est orta, in qua consicienda ita versati sumus, vt explicata prius

A 3

vidua-

a) in Pr. iur. feud. L. I. Sect. II. b) in Comment. de rebus dubiis in iure feud. obl. XX. c. XI. §. 333.

c) in El. iur. feud. c. XXI. §. 537.

vidualitii origine et natura eiusque a dotalitio discrimine facto, duplici ratione moti regulae loco poneremus, non dotalitium, sed vidualitium, si indefinite constitutum sit, ad statum viduitatis adstrictum esse. Quas laborum nostrorum primitias si periti literarum arbitri non plane reiiciendas esse iudicent, nobis, quod in votis habemus, feliciter contigit.

§. II.

De vidualitii origine et natura.

Primum itaque, quae initia habuerit et cuius in vniuersum indolis sit ista viduabus indotatis consulendi ratio, disquirere iuvat. Quibus in rebus explicandis cum multi, imprimis qui de dotalitio integras dissertationes conscripserunt, operam suam consumserint, quorum indicem dedit Perill. DE SELCHOW in Elem. iur. germ. Part. Spec. L. II. c. I. Sect. II. T. 3. iure breuiores erimus. Fuit autem apud veteres Germanos, vti Tacitus memoriae prodidit, in more positum, vt maritus lectae thori coniugalis sociae dotem adferret, quo haberet, vnde vidua facta commode et pro dignitate vitam agere posset. a) Haec, quae a Romanorum dote, quippe quam vxor marito

a) de M. G. c. XVIII. BREVNING ab illa, quam mulier germanica per diff. ep. de dotalitio ob secundas nuptias non cessante §. V. Hanc dotem, quae pacitia dicitur, diuersam fuisse leges v. c. L. Sax. c. 33. L. Visigoth. L. III. T. 4. Burgund. c. 13. Alemann. c. 55. al. vel ex moribus percipie-

marito ad sustinenda matrimonii onera adferebat, plane discrepabat, b) dos germanica seu mariti audit, c) et quamdam quasi alimentariam prouisionem continet, a marito vxori in casum viduitatis constitutam. Necessariam vero fuisse apud maiores nostros hanc viduabus succurrendi rationem, vel exinde constat, quod filiae a parentibus non nisi paucas quasdam res mobiles, d) quae instruendae domui inferuient, acciperent. Neque enim sinebat istorum temporum paupertas amplum ad elocandas filias rerum utensilium adparatum conficere, cum bonorum paternorum prouentus vix belorum sumtibus sufficerent, maternae vero opes, vt ex antea dictis coniiicere licet, nullius essent momenti. e) Quamobrem mariti, vtpote,

icipiebat, legitimam propterea dictam, in pretio seu muneribus tanquam numis coemotionalibus consistentem, quibus viri mulieres ab ipsarum parentibus comparare soliti sunt, bene obseruauit GVDLING in lib. sing. de emptione vxorum dote et Morgengaba ex iure germ. c. I. §. 20 sqq. et cum eo Io. THEOPH. SEGER in diss. de alimentis viduae indotatae ex feudo debitis p. 61 sqq.

b) differentiam dotis rom. et germ. demonstrauit Io. ADAM KOPP in den Proben d. Teufsch. Lehr. T. I. n. §.

c) v. LVDWIG de dote mariti §. 4 sqq.

d) Faderium seu vaderphium di-

xere Langobardi. LL. Langob. L. I. T. IX. §. 12. L. II. T. I. §. 4. et T. XIV. §. 15. de cuius vocis etymologia v. GVDLING l. l. c. II. §. 12. Ceterum mouit iam dictus GVDLING l. l. c. II. §. 6 et 15. et SEGER in d. l. p. 12. sub illo Taciti l. l. armorum aliquid, quod vxor marito obtulisset, dotem ad sustinenda matrimonii onera non esse intelligendam, cum arma ad haec non darentur, et quanti exilia fuerint reliqua mulierum munera, ex Taciti silentio haud obscure colligere liceret.

e) v. Io. GEO. ESTOR, diss. an dotalitium cesset propter secundas nuptias? c. IV. §. 2 sq. KOPP l. l. §. 4.



utpote quorum vita inter arma versans nullo non tempore periclitaretur, tum amore coniugis, tum laudis post mortem etiam conservandae studio ducti, dote constituenda cauebant, ne vxoribus viduis factis alimenta deficerent. Quam ipsam dotem germanicam sequiori aetate primum Galli, postea etiam Germani nomine *vidualitii*, *vitalitii*, *vislaltii*, *doarii*, *dotalitii*, *maritagii* insigniuere, f) inter quas quidem voces nullum ab initio locum habebat discrimen, ut et lingua vernacula verbis: *widem*, *widum*, *withem*, *Leibgeding*, *Leibzucht*, eundem attribuebat significatum, quippe quae nihil praeter bona a marito nouiter nuptae in casum viduitatis adsignata continebant, nec dotis ab vxore ad onera coniugii ferenda illatae vllam habebant rationem. g) Constituebatur vero vidualitium istud primo quidem in allodiis, idque ita fere fiebat, ut vel sola alimenta, vel summa quaedam pecuniae viduae exinde praerentur, vel

vtilitas

f) v. CHLADENII diff. ius viduae iungere. v. SCHERZ et WACHTER in doariae an sit merus vsufr. §. 1. not. c. Glossar. sub h. v. Vnde dicitur *Ver-*
SEGER d. l. p. 24 sq. al. Plura synonyma *widemung* h. e. assignatio honorum, viduitatis, unde post mortem mariti vidua viuere possit. v. KOPF l. l. §. 2. *Leib-*
g) v. GYNDLING l. l. c. II. §. 21. *ding* autem nihil aliud est nisi con-
CHRIST. HENR. de BERGER Selecta ventio de sustentatione ad dies vitae,
iuris dotalitii capita §. 4. Voces *wi-* *Leibzucht* vero indicat alimentariam
dem, *widum* alii ducunt a *weyben*, fac- ad vitae tempus prouisionem. v. CAR-
crare, ut sit itaque dos, quae sacra- OTT. RECHENBERG Progr. de vero
tur ei, quae sacratu matrimonio, alii significatione verborum *Leibzucht* et *Leib-*
2 *wetten*, coniungere, matrimonio *geding*. Lips. 1745.

vilitas fundi, vel denique fundus ipse proprietatis iure illi concederetur; h) postea autem, allodiis non sufficientibus, in feudis quoque, consentientibus domino directo omnibusque quorum intererat, ita quidem, ut viduae modo redditus feudi assignarentur, modo feudum ipsum per inuestituram viendum, sub lege praestandae fidelitatis vasalliticae, concederetur, locum habere coepit. i) Inde ortum traxit distinctio inter vidualitium allodiale et feudale, quae hodie adhuc ita observatur, ut a personis potissimum egregiis tam in allodio quam in feudo vidualitium constitui soleat. k) In Saxonia tamen aliisque quibusdam Germaniae provinciis onus hoc feudale ignoratur, nec ex clientelari praedio quidquam agnati viduae indotatae soluere tenentur, l) cuius assertionis contrarium ab aequitate inprimis commendarunt LEYSER m) et SEGER in pluries laudata dissertatione. Sed age mutatam quodammodo per erroneam iuris romani interpretationem vidualitii seu dotalitii faciem consideremus.

§. III.

h) I. P. S. L. III. art. 76. Receivs germ. P. Spec. L. II. c. I. Sect. II. in Spicil. ad ENGAV. I. Germ. L. I. T. III. §. 330. ed. sept. T. 17. §. 390 sq. p. 562 sqq.

l) ex Decis. El. 55. v. CARZ. L. IV.

i) CHRIST. RAV in Comment. de resp. 20. n. 16. feudo dotalitii (Lipf. 1776.) p. 5.

m) in Medit. ad Pand. Vol. V. Sp.

k) Perill. de SELCHOW in El. iur. 325. m. 8.

*De dotalitio principiis iuris romani de dote et donatione pro-
pter nuptias cum Germanorum de dote doctrina com-
mixtis a vidualitio distinctio.*

His igitur temporibus, quibus nulla erat mulierum dos, nomina quidem *dotarii*, *duarii*, *dotarii*, *dotalitii* interdum celebrabantur, neque tamen a *viduuii* seu *vidualitii* appellatione, cum, ut Spho antec. monuimus, dotem germanicam seu mariti significarent, differabant. Sed paulatim res immutata est. Etenim seculo XI. nondum verrente, auctis Germanorum opibus auctaque in ipsis habendi cupidine, mariti etiam dotis vna cum vxore acquirendae studiosi facti sunt, quo onera matrimonii, quae subinde ingrauescebant, facilius sustinerent, quod ipsum multis exemplis illustrare memini KOPPIVM. a) Neque tamen hae statim aetate in alimentis viduae destinandis illatae ab eadem dotis habebatur ratio, iure romano demum in Germania recepto ad istam respicere et dotalitium a vidualitio separare coeperunt, quod, quomodo factum sit, videamus. Ius romanum quidem dotis germanicae seu vidualitii causarumque eius nullam faciebat mentionem, interpretibus tamen eius similitudo quaedam inter vidualitium et donationem propter nuptias intercedere videbatur, quae ipsa cum dorem ab vxore illatam esse veller, munera illa exigua marito a muliere offerri solita, dotis nomine appellabant, hisque principia iuris romani de dote appli-

a) I. I. T. I. n. V. §. 7 sqq.

applicabant, ea vero, quae de indole donationis propter nuptias in legibus romanis cauta erant, ad dotem germanicam transferebant. Ab eo igitur inde tempore ad dotem ab vxore marito illatam in dotalitio constituendo respiciebant, huiusque mensuram, ne vidua dotis iacturam cum ea coniunctam moleste ferret, ex quantitate dotis vsuris eius duplicatis, quid? quod, donationis propter nuptias ratione habita, quadruplicatis definiebant. b) Atque haec iuris romani cum germanico iure commixtio tantum valuit, ut dotalitium, quod eodem modo ac vidualitium siue in allodio siue in feudo constitui poterat, non prius praestandum esse nisi dotis numeratione vel ad minimum promissione eius probata opinarentur. Mansit quidem adhuc dotalitii cum vidualitio similitudo quaedam, a communi vtriusque sine ad meliorem viduae sustentationem spectante, reperenda: in eo vero a se inuicem discrepare coeperunt, quod illud dotem illatam, et, si in feudis constitueretur, in horum vilitatem versam requireret et donationis quoque propter nuptias interdum rationem haberet, hoc vero ex mariti arbitrio viduae indotatae etiam constitueretur. Quare factum est, ut nominibus etiam distinguerentur. Audit enim illud dotalitium irregulare, extraordinarium, improprium, et, quoniam Saxones quadruplicatarum vsurarum quantitatem inuenisse dicuntur, Saxonicum, hoc vero, dotalitium regulare, vidualitium germanicum generale, et

B 2

ab

b) V. BREVNING in diss. de dotalitio in El. iur. f. c. 16. §. 23. GYNDLING ob secundas nuptias non cessante l. l. c. II. §. 22. §. 6. ESTOR l. l. c. VIII. §. 6. STRYV.

ab iis qui dotalitium et vidualitium formas vidualitii in sensu latiori accepti habent, c) in specie sic dictum appellatur. Haec igitur de discrimine vidualitii et dotalitii, haud parvi sane momenti, ne in praecognitis iusto longiores, in re ipsa, de qua disputare constituimus, explicanda, breviores simus, sufficiant: quamobrem propius ad quaestionem propositam accedamus, eamque ad dotalitium non esse extendendam §ho seq. demonstremus.

§. IV.

Dotalitium ad statum viduitatis non est adstrictum.

Vti autem vidualitium cum dotalitio, si constituendi rationem spectamus, in quibusdam convenit, in aliis vero ab eodem discrepat, ita etiam, si ad causas, propter quas finem accipiunt, respicimus, aliae utriusque communes, aliae e contrario alterutrius propriae sunt. Vix attinet dicere, morte virumque frequentissime finiri: quippe mortui alimentis amplius opus non habent. Est praeterea alia ratio, ob quam aut vidualitii aut dotalitii exigendi iura viduae vt indignae eripiuntur, quae ab adulterio durante adhuc matrimonio ab ea commisso reperitur a) Sed magna inter vtrumque intercedit dissimilitudo, si disquiritur, an dotalitium aequè ac vidualitium ad statum viduitatis adstrictum sit? Er de illo

c) de SELCHOW I. I. §. 328. SEGER I. I. p. 42. III. BOEHMER in Pr. Iur. feud. L. I. Sect. II. c. XI. §. 324 sqq.

a) v. HENR. GODFR. BAVERI diff. Quaedam de dotalitio eiusq. ob adulterium amissione §. 6.

illo quidem negando de hoc autem affirmando respondendum esse nobis videtur. Cuius iudicii rationes cum, quod ad vidualitium attinet, infra copiosius explicentur, hic de dotalitio solum pauca delibabimus. Quodsi vero dotalitii causam a statu viduitatis seiu- gimus, nihil aliud inuimus, nisi hoc: viduam ad secundas nu- ptias transeuntem ex regula b) dotalitium a priore marito ipsi con- stitutum non amittere. Contraria quidem sententia EsFORT c) et BYRCH. GORTH. STRVIO d) placuit, partim, quod vidua ad secunda vota prouolante dotalitii constituti ratio cesset, partim quia erronea veterum iuris romani interpretum, romana cum germanicis minus caute permiscentium opinio nihili sit habenda; quare dotem resti- tuendam nec dotalitium amplius praestandum esse aiunt. Sed prae- ferenda nobis videtur ratio eorum, qui I. P. S. l. III. art. 76. ap- pellan-

B 3

b) nisi aliud legibus particularibus pactisue statutum sit, quo tamen in casu dos restituenda est vxori. Ita iure Megapolit. recessu de ao. 1621. cautum: *dass die verwitt. Ehefrauen, wenn sie zur andern Ehe schieben, ihren einhabenden Wittbum gegen Erst- arung des eingebrachten Ehegeldes, Bes- serung und was dem anhängig, dem Lehnfolger cediren und abretzen, er- achten wir den Rechten und Herkom- men gemäß.* ap. LÜNIG. in C. I. F.

P. II. p. 158r. Sic personas illustres plerumque heredibus tribuere solere ius, illud soluta certa pecuniae sum- ma reluendi, animaduertit HEINECC. in El. iur. germ. T. I. §. 254. Satis etiam nota est formula pactis adiecta: *bis sie den Wittwenstuhl verrücker.* Idem obtinet iure Bremensi. v. Constitut. Brem. de 1567. T. VII. ap. LÜNIG l. I. P. II. p. 139r.

c) l. l. c. VIII. §. 6.

d) l. l. c. XVI. §. 36. not. ***.

pellantes, dotalitium dotis, utpote quam vxor hoc electo amittat, furrogatum habent, simulque dote ipsa propter secundas nuptias non pereunte nec furrogatum eius perire posse argumentantur. e) Damus libenter, haec principia erronea iuris romani ad institutum germanicum adplicatione niti: largimur etiam, cessare quodammodo secundis a vidua nuptiis initis dotalitii constituti rationem, cum vidua vxor facta vitae subsidia habeat et onus alendi ad nouum maritum pertineat: negamus vero has quidem causas vim et auctoritatem omnem ei, quam vsus fori adprobat, f) sententiae derogari posse. Cum enim in hac causa ius peregrinum aperte receptum sit, omnis circa eam decisio ex eodem petenda est: g) neque vnica dotalitii constituendi ratio in alimentis viduae procurandis cernitur: immo potius iactura dotis respicitur, in cuius remunerationem illud praestandum est: ut taceamus, eiusdem praestandi obligatio-

e) v. STRYBEN in *rechrl. Bedenken* c. II. §. 18. BERGER in *Oec. Iur. T. I. Bed. 124.* ZOLLERI *Exerc. iurid.* L. I. T. 3. th. 12. not. 3. IO. ANDR. *WESTPHAL Quæst. feud. Sect. IV.* si femina ad secunda vota transeat, c. 6. p. 316. al. Sed cum dotalitium expiret? §. 6. Alii facultatem percipiendi redditus ex dotalitio a iure usufructuario deducunt, statuentes, cum usufructus secundis nuptiis finem non accipiat, neque dotalitium, quod in usufructu consistat, amitti. v. STRYK in *Tr. de Success. ab Int. diff. IV.* c. II. §. 18. BERGER in *Oec. Iur. T. I. Bed. 124.* ZOLLERI *Exerc. iurid.* L. I. T. 3. th. 12. not. 3. IO. ANDR. *WESTPHAL Quæst. feud. Sect. IV.* si femina ad secunda vota transeat, c. 6. p. 316. al. Sed cum dotalitium expiret? §. 6. Alii facultatem percipiendi redditus ex dotalitio a iure usufructuario deducunt, statuentes, cum usufructus secundis nuptiis finem non accipiat, neque dotalitium, quod in usufructu consistat, amitti. v. STRYK in *Tr. de Success. ab Int. diff. IV.* non semper in usufructu consistat, et modo plus, modo minus comprehendat, ratio a laudatis viris adducta nimis angusta est.

f) PFENDORF *Obl. iur. T. I. obl. 23. p. 1.*

g) BREVNING *l. l. §. 10.*

gationem eo perpetuam fieri videri, quod viduae inuitae commodum istud sine iusta causa interuerti, eique dotis summa vna cum donatione propter nuptias loco eius obrudi nequeat. h) Aliam vero vidualitii esse rationem, Sphis sqq. explicabimus.

§. V.

Vidualitium vero indefinite constitutum ab eodem pender.

Vidualitium itaque ad statum viduitatis adstrictum esse, seu, vt aliis vtamur verbis, viduam secundas nuptias contrahentem vidualitium indefinite atque ita constitutum, vt ex pactis dotalibus nihil aliud, nisi quod de isto post nuptiarum dissolutionem morte mariti praestando conuenerint, intelligatur, amittere contendimus. Definite enim vidualitium constitutum esse dicitur, si speciali conventionione de illa, secundis a vidua nuptiis initis, aut vterius praestando, aut propter easdem tollendo actum fuerit. a) Quodsi enim paciscentes ipsi huiusmodi quid definiere, talibus pactis standum esse non dubitamus. Quamquam vero ex his, si quidem existant, decidendi rationes in primis petendae sunt, b) neutiquam tamen illa regulae

h) WOLF in El. iur. feud. c. XV. §. 12. ptiar, attulit de GUDENYS in Cod. dipl. T. II. p. 1167.

a) Exemplar, quae illustrant, vidualitium interdum ita definitum esse vt perduraret post secundas nu-

b) III. PÜTTMANN. in El. iur. feud. c. XXI. §. 537.

regulae sed potius exceptionis loco haberi debent, quoniam, ut bene monet ESTOR, c) regulae a generalibus, non vero a specialibus et determinatis formandae sunt. Ac hanc quidem thesin nostram recte se habere, adeoque, specialibus conventionibus deficientibus, quibus vidualitio aut finis praefixus, aut perpetuitas eius constituta sit mutato viduitatis statu, per secundas viduae nuptias finem illud accipere, id ipsum rationibus proponendis accuratius iam demonstrabimus.

§. VI.

Id quod adfirmatur

I. ex natura vidualitii.

Ratio enim vidualitii constituendi per indolem atque naturam eius in eo solummodo vertitur, ut vxoribus ad viduitatis statum delapsis alimenta necessaria suppetant, quo honeste dignitatieque defunctorum maritorum conuenienter vitam transigere possint. Quodsi vero vidua ad secunda vota transeat, quis eam amplius viduam esse aut alimentis a defuncto marito sibi relictis adhuc indigere dicat, cum a nouo coniuge, cuius dignitatem sequitur, alenda sit? Cessat igitur causa, ob quam vidualitium constitutum est; quare

c) l. l. c. VIII. §. 1 sq.

quare ipsum etiam vidualitium cessare necesse est. Sed audio, qui obiciant, quid vero, si vidua maritum eligit, cuius angusta res familiaris est, num hoc in casu illi vidualitium denegabitur? Denegabitur sane, sibi enim ipsi femina imputet deterioris conditionis mala, cum liberum ipsi fuerit inter commoda prioris et incommoda posterioris matrimonii eligere; damnum autem, quod quis sua culpa sentit, non sentire videtur.

Ac placet quidem Ill. BOEHMERO ^{a)} statueri, vidualitium indefinite constitutum neque sua natura neque per leges ad statum et tempus viduitatis adstrictum esse, nec ideo per secundas nuptias tolli, nisi id actum esse intelligatur. Firmandae eius sententiae gratia primo ex iure communi Auth. hoc locum C. si secundo nupserit et Nov. XXII. c. 32. profert, in his enim legibus persecurare dici usufructum viduae relictum; nisi ea lege datus sit, ut secundis nuptiis intereat; addit deinde, vidualitium per naturam suam non sub modo seruandae viduitatis sed in euentum viduitatis dari, ideoque necesse esse, ut ex conventionem vel dispositione constet, illud datum esse sub isto modo; laudat denique nomina plurimorum doctorum, qui hanc causam argumentis iudicatisque instruxerunt.

a) in Pr. iur. feud. L. I. Sect. II. c. XI. §. 333.

struxerint. Sed pace tanti viri argumenta eius paulisper excutimus. Primo quidem ei libenter largimur, vidualitium indefinite constitutum per leges ad tempus viduitatis non adstrictum esse, nititur enim ea res, obseruante ESTORE b) vsu, qui ob aequitatem inualuit, neque tamen propterea argumentari posse videmus, legibus deficientibus, quae vidualitium per secundas nuptias finire dicant, hocce durare, licet vidua statum viduitatis matrimonio de nouo celebrando immutet: in defectu legum decisio huius rei ex moribus patriis potius, quibus originem vidualitium debet, petenda est. Qui cum rationem eius constituendi in eo collocent, vt vxor vidua facta necessaria vitae subsidia habeat, dignitatemque a marito acceptam tueatur, efficitur, eam lecto nouo thori coniugalis socio, a quo ex eo inde tempore alii debet, propter cessantem vidualitii rationem huius facere iacturam. Cum itaque ex ipsa vidualitii notione fluat, secundas nuptias finem ei necessario imponere, facile erit ad diiudicandum, an vere se habeat BOEHMERI opinio negantis, vidualitium sua natura esse ad statum viduitatis adstrictum. c) Aequè libenter concedimus illi, vidualitium in eventum viduitatis dari, Huius enim existentia et terminus morte mariti efficitur, a quo istius praestatio fieri debet. Sed quidni etiam hac in re terminum

b) I. I. c. IV. §. 7.

c) BOEHMERVM propterea iam notauit Perill. de GLOBIG l. I. obs. XX.

ad quem statuamus, qui in ipsa vidualitii indefinite constituti natura latet, quare non tantum in euentum viduitatis d) datum, verum simul quoque ad statum viduitatis adstrictum esse dicendum est. Nec vero opus esse videtur, vt ex peculiari conuentione vel dispositione constet, vidualitium sub modo seruandae viduitatis datum esse, cum tacite ei haec conditio inhaereat, vt nihil dicamus de eo, quod mentione eius conditionis in pacto expresse facta, vidualitii definite dari naturam indueret. Idem enim esset, ac si maritus vidualitium constituens adiecesset conditionem, cessare debere, si vidua denuo matrimonium iniret.

Videtur praeterea Ill. BOEHMERVS rem nostram ex legibus romanis, quae de usufructu propter secundas viduae nuptias non amittendo praecipunt, aestimasse, eorumque partes secutus esse, qui vidualitium iure usufructuario contineri statuunt, ideoque, cum hoc secundis a vidua nuptiis initis non intereat, illud quoque non cessare argumentantur. Verum loquitur BOEHMERVS de vidualitio in

C 2 feudo

d) nisi sub euentu viduitatis initium et finem viduitatis simul intelligere mallet, quem sensum tamen, vt ex contextu patet, istis verbis BOEHMERVS non tribuisse videtur: ita enim nostrae faueret sententiae sibi, que non constaret.

feudo constituto, quod ipse deinde e) ex principiis iuris romani de
 usufructu, cum ex obseruantia moribus germanicis probata descen-
 dat, non aestimandum esse dicit. Quid autem? si vidualitium in
 allodio constitutum sit, an ex principiis iuris romani de usufructu
 femina ulterius vidualitium exigere potest, licet statum viduitatis re-
 linquat? Quod haud minus denegandum ipsi censemus, idque pro-
 pterea, quoniam primo vidualitium non iure vtendi fruendi, quod
 usufructum romanum efficit, absoluitur, sed modo arctioribus li-
 mitibus circumscribitur, modo latius patet; deinde vero quaelibet in-
 terpretatio principiis domesticis conuenienter h. e. ita fieri debet, vt
 praecipue contrahentium intentio notioque vocis ipsius spectetur,
 nisi in defectu legum morumque patriorum peregrina iura immif-
 ceantur, vt tacemus, vxorem, viduitate hac ratione finita, vidua-
 litii quoque postulandi actione excidere. f)

Inter eos tandem viros ad quos BOEHMERVS, vt sententiae suae
 maiorem conciliet vim, pronocat, alii, si loca ex illorum libris
 laudata accuratius inspicias, vt GEO. MELCH. DE LVDOLF, PHIL.
 WILH. GEREKEN, HORNIVS, STRYKIVS, WERNHERVS, SENKENBERGIVS

e) §pho 334.

f) de GLOBIO l. 1.

et CRAMER, dotalium, quod in compensationem dotis illatae indefinite constitutum est, innuunt, alii v. c. DAV. GEO. STRVBEN, si vidualitium feudale spectes, propter cessantem eiusdem per secundas nuptias rationem, nostrae favent sententiae, ab ea vero, quoad vidualitium allodiale, recedunt, quod ob eundem rationis, propter quam vidualitium constituitur, defectum cessare nobis videretur, quae in re consentientes habemus MOELLERVM g) et III. PÜTTMANNVM. h)

Sed iam ad alteram rationem, ex qua vidualitium ad statum viduitatis adstrictum esse putamus, transeundum est.

§. VII.

II. *Ex speciali conventionione, qua vidualitio, secundis nuptiis non obstantibus, perpetuitas constituta est.*

Neque tuetur solum opinionem nostram ratio illa ex vidualitii natura petita, verum alia quoque ex pacto, quod interdum aditici consuevit et viduae, licet matrimonium denuo iniret, ulteriorem eius usum concessit, depromi potest, quae sententiae nostrae, quae vidualitium ad statum viduitatis adstrictum esse statuimus, haud parum auctoritatis conciliat. Iam supra GYDENVM laudavimus, qui

C 3

g) in distinct. feudal. c. XXI. dist. V. h) l. et §pho l.

collegit exempla, ex quibus apparet, vidualitium interdum ita definitum esse, ut feminae, licet statum viduitatis relinqueret, largiendum esset. Quodsi vero haec ad secunda vota transiens ipso iure vidualitium retinuisset, quid opus fuisset conventionem, ut etiam post contractas nuptias perdurare deberet, determinare? Ex quo non inepte colligere licet, eos, quibus placuit iste vidualitium amplificandi modus, secundas viduae nuptias causam putasse, ob quam eius praestatio cessaret. Sed sunt forsitan, qui ex altero vidualitii definite constituti modo nobis obijciant, se, si per naturam suam propter matrimonium nouiter initum finem acciperet, intelligere non posse, cur quidam alii necessarium iudicauerint, ut feminis tantummodo in statu viduitatis perseverantibus tribueretur, definire; et enim hanc conventionem documento certissimo esse, hanc vidualitii definite constituti formam exceptionis loco, regulam autem, ut vidualitium non obstante matrimonio iterato duraret, habitam esse. Neque tamen hac ratione nos profligatos esse putamus. Nam, ni fallimur, omnes eas formulas, quae claris verbis viduae iacturam vidualitii, si nouum sibi adsocier coniugem, minantur, propterea solum adiecere, ut litibus in causa maxime dubia forsan oriundis via praeccluderetur. Praeterea utramque vidualitii definite constituti for-

mam

nam Spho V. exceptionibus adnumerauimus, alteram itaque in praesenti exceptionis, alteram regulae instar esse, definire non possumus. Licet autem, quod feminae vidualitio ulterius uti, quamquam alium eligeret maritum, interdum permiserint, a regula: vidualitium indefinite constitutum a viduitate pendere, aberrer, nihil tamen obest, quo minus ex hac ipsa causa argumentum pro nostra sententia ducamus, statuamusque, maiores nostros secunda viduae vota rationem, ob quam vidualitium amitteret, habuisse, quippe eos, quod naturae rei magis conuenit, regulam iudicasse praesumendum est: eosdem vero amore coniugali ductos interdum ab eadem recessisse, quo viduabus, quarum vita solitaria eos male haberet, eo facilius fieret denuo se coniungendi, imo inter plures viros, quibus placeret perpetui vidualitii conditio, eligendi copia; praecuidere enim poterant, miseram fore viduarum sortem, quae, amisso vidualitio, viris probatis quidem sed pauperibus se coniungerent. Ob has igitur rationes vidualitium indefinite constitutum ad statum viduitatis adstrictum esse censemus.

Wittenberg, Diss., 7797

ULB Halle

002 109 840




3

f

sb.





DE
 AD STATVM
 AD STRICTO

1791

TATIO
 AM
 ORDINIS AVCTORITATE
 SIDE
**HIERONYMO
 ITZERO**
 ORE CVRIAE PROVINCIA-
 CCLESIASTICI VITEBERG.
 CATO,

S. CIOICCLXXXI.
 Q. S.
 NDET
 TOR
 GVILIELMVS ROMANVS
 NSIS.

ERGAE,
 CHIEDRICHIL.